THE UNIVERSITY
OF ILLINOIS
LIBRARY
x762
G73t
Rare Book
and Spec. Coll. Lib.

HGE
£ 3|10/-

Digitized by the Internet Archive
in 2009 with funding from
University of Illinois Urbana-Champaign

http://www.archive.org/details/typusoccasionisi00gall


TYPVS
OCCASIONIS.
IN QVO
RECEPTAE COMMODA,
NEGLECTAE VERÒ
INCOMMODA,
PERSONATO SCHEMATE
PROPONVNTVR.
ANTVERPIAE.
delineabat et incidebat
Theodorus Gallæus.
M. D. CIII.

x962 Emblem
G737

STVDIOSÆ IVVENTVTI
THEODORVS GALLÆVS
S. P.

OCCASIONEM tot Poëtarum encomijs celebratam, posteriore capitis sui parte depilam, anteriore verò capillatam, veneranda finxit Antiquitas. Facetè, sed nec minus prudenter: ea quippe est naturæ nostræ siue amentia, siue malitia, vt rerum præclarè gerendarum commoditatem nacti, facilè eam prætereamus, nec ita multò post præteritã neglectamq; ex animo doleamus: vt ob id meritò Metanoea OCCASIONI comes soleat associari. Vnde ille, serò licet, inclamabat:

O mihi præteritos referat si Iupiter annos!

Et, quamuis malum hoc, omne hominum genus fatali quadam procliuitate inuoluat, maximè tamen ad vos, Iuuenes optimi, pertinere arbitratus sum; quorum scilicet mollis adhuc, ac in procliui ætas, magnum vel ad VIRTVTEM vel ad VITIVM momentum habet. Quæ vna ratio me perpulit, vt duodecim hasce ICONES vobis lubens meritò consecrarem, inspiciendasq; proponerem. Sint igitur hæ vobis in oculis, manu, mente. Valete.

A. TEMPVS *ego, ſine quo nihil eſt quodcunq; creatum eſt.*
Me ſine nec cælum, neq; cælo ſidera, nec Sol
Aureus irradient: ſine me, nec terra, nec æquor,
Et quidquid vaſta Mundi compage tenetur,
Exiſtant: Sed enim, per me, velut omnia conſtant;
Omnia ſic rurſum, per me, revoluta labascent.
B. *Illa ego, quæ priſcis* OCCASIO *cognita Seclis.*
Me quicunque catus non faſtidiuit, amico
Sed vultu acceptam tenuit, mandata capeſſens;
Ille ſibi, compos voti, decora ampla parauit.

A. *Macte nouâ grex dote, frui cui munere Diuûm*
Conspectuque datur. Vobis, OCCASIO, TEMPVS,
Quodq; fero CÆLO auxilium, quam molliter adstant!
B. *O nos felices, et amica sorte beatos,*
Gratia queis CÆLO ceu roscidus adpluit imber!
A. *Ergo manus proferte alacres; quamq; obtulit vltrò*
Prensandam sacra NYMPHA comam constringite læti.
C. *Non sic, o Iuuenes: deliria vana facessant.*
D. *Læta decent lætos, tristes Dea calua Catones.*
C. *Hem prædam! hem prædam! date retia, et ocyus hamos.*

A. *Effluat in risum* TEMPVS: *quid rectius istam*
Ætatem deceat, quam ludere, quamque iocari?
B. *Dum ver molle sinit, rapiat sua quemq; voluptas.*
C. *Vnam de multis mihi sit fas vellere pennam*
Gestamen capiti. D. *Non pluma hac aptior vlla.*
E. *Hem, quæ sphæra! polo subdam caput. En, nouus Atlas.*
F. *Ast ego subsiliens equitabo in arundine longa.*
G. *Quam pellucidulo placet hæc mihi clepsydra vitro!*
A. *Sic decet, et fas est: sic præsens exigit ætas.*
B. *Seria sint senibus, pueris ioci et ocia curæ.*

A. *Hanc quoq; nunc, Iuuenes, certatim inuadite Laruam;*
Quandoquidem dat ſponte ſua ſe OCCASIO *ſponſam.*
B. *Huc ſocij; noua naſcitur hic occaſio risus.*
C. *Pro monſtrũ horrendũ! D. Quid id eſt? Num femina, vel mas?*
E. *Fronte capillitium gerit, aſt glabrum occiput illi.*
F. *Mos pueris, ſponſam Maij exornare calendis,*
Reginæque inſtar longa deducere pompa,
Et ramis capiti obtensis, fauſta omnia Nymphæ
Acclamare nouæ; quid ſi pro tempore, pro re,
Hæc eadem nobis ludatur fabula? G. Bellè.

A. *Vos agedum Iuuenes; iam nunc datur ęsse beatis.*
Vos sapite, atq; alijs ſpretum ne temnite Numen.
B. *Si quis amor noſtri, vel ſi vos cura ſalutis*
Vlla tenet; magnam paruo poſt tempore meſsem
Proferet. C. *Et rutili ſtatuet ſuper atria Cæli.*
D. *Hospes gratus ades.* E. *Prò quam tua lumina læti*
Adspicimus! F. *Quam tu noſtris* OCCASIO *ocellis*
Exoptata venis! G. *Quam te tardante dolemus!*
H. *Cedo manum, et fidos amplectere fida clientes.*
A. *Gratus hic eſt animi candor, placet iſta voluntas.*

A. *En tibi, care, mei magnum in te pignus amoris.*
Hoc si solicitè serues, et noueris vti;
Magnus eris quondam. B. *Grates ago Nympha perennes.*
C. *O præstans domum, dono præstantius omni!*
D. *In pretio sint dona tibi: dein vtere iuxta*
Numinis instinctum, et Ductorum iussa tuorum.
E. *Scire volo ad quantos* OCCASIO *ducat honores.*
F. *Quilibet ergo suo fungatur munere.* G. *Faxo.*
H. *Ne dubita; mens ista mea est, mens ista meorum.*
I. *Angele, sic nostris vsque insidiabere lucris?*

A. *Nunc opus eſt alios Terrarum inuiſere tractus,*
Et Iuuenes alios. Moniti vos ergo valete.
B. *Quis ſubitæ calor iſte fugæ?* C. *Quin ſi fuga tandem*
Certa tibi eſt; pennas ſaltem Dea caua fugaces
Siſtat adhuc. D. *Cur tot nequidquam verba per auras*
Perditis? hinc alio, mora nulla, recedo; valete.
E. *Aufugiat? ſparsos potius pro fronte capillos*
Arripite. D. *Ai! ſme, ſponte ſequar; veſtriſq; morabor*
Ædibus, ad iuſtam donec perduxero metam.
F. *Laudo animos, nam vi cogi* DEA *gaudet amicâ.*

A. *Hei mihi! quo* TEMPVS, *quo se gratissimus hospes*
Proripuit? B. *Quò blanda parens Occasio rerum*
Tam locuples abijt? C. *O si mihi Iupiter illam*
Nunc statuat reducem, neglectaq; tempora reddat!
D. *Vt mihi nulla breuis, sine fructu, diffluat hora!*
E. *O mihi delapsi fiat si copia vultus!*
A. TEMPVS, *ades! Nobis vtinam te* OCCASIO *sistas!*
Grati erimus. B. *Vos amplectemur.* C. *Dona placebunt*
D. *O volucres Diui, pia Numina, adeste, redite.*
E. *Vos reuoco.* F. *Frustra:* G. *Renuunt auersa reuerti.*

A. *Hem ſocij, quantum video, non omnis ademta*
Spes nobis: noua præteritorum alludit imago.
B. *Siſte gradum, TEMPVS. Quo tam pernicibus alis*
Præcipitas? A. *Lenteſce precor, noſtq; adſpice præſens.*
B. *Ah! fugit.* C. *Heu! velox Occaſio præterit, ora*
Detorquens alio. D. *Miſeris quid deniq; reſtat?*
C. *Quid vetat iniectis manibus retinere fugacem?*
D. *Ferte manus.* C. *En eluctata eſt, veſte relicta.*
Prende capillitium, et proprio remorare capiſtro.
E. *Heu! ſero ſapimus:* F. *POST EST OCCASIO CALVA.*

A. *Non, vt vos fertis, post est Occasio calua:*
Ecce, capillatam obtendo, gaudete, tenete.
B. *Ad baratrum, ad baratrum, sic sic raptentur inertes.*
C. *O stultum puerile genus!* D. *Proh vana Iuuentæ*
Consilia! E. *O sērò semper meliora sequentes!*
F. *Eheu me miserum, cui ver geniale iuuentæ*
Frugis inops abijt, Metanoëaque sola remansit!
G. *Parce Deus: tam vesani nos poenitet orsi.*
Oēs. *Quam dolet, insano sic indulsisse furori!*
A. *Iam sērò sapitis: non est spes vllā salutis.*

A. *Hinc, hinc, fœda lues Erebi, fera pessima, ad Orcum:*
Non hæc tam furuis debetur faucibus esca.
B. *Angele, fide comes, nos træque salutis amator,*
Quæso, tuère tuos dèinceps hac lege clientes;
Vt, licet ad magnos posthac OCCASIO *honores*
Et TEMPVS *miseris periit; tamen illa superfit*
Ansa, patrocinio vestro, quæ ritè piandis
Commissis satis esse queat: ne morte luamus
Æterna, et nunquam liceat sperare salutem.
A. *Faxo, modo faciant præmissa pericula cautos.*

A. *O pietas ſuprema, et inenarrabile donum*
Lætitiæ! Deus alme, tuo quot fonte redundant
Gaudia! FELICES, QVIBVS EST OCCASIO CORDI!
B. *Tempus ijt; dum vixi* OCCASIO *ſpreta receſſit:*
Do nunc ſtultitiæ poenas miſerandas perennes.
C. *Hei quanti conſtas* OCCASIO *perdita; quanti!*
D. *Vana canis: duplicant ſemper lamenta dolores.*
E. *Me miſeram, quantas parit hæc amentia clades!*
Propterea horribiles infelix incolo flammas.
F. *Sero Phryges ſapunt:* POST EST OCCASIO CALVA.

SALTATOR MVNDANVS.
Noli credere Deo, nec Sanctis
Nulli nunquam dimitte, vindica te.
Te extolle ne sis misericors.
Sequere voluptatem tuam.
Mendaciū et fraudem exerce.
Furtum et rapinam age.
Blasphemā sperne Deū.
Desperato inuoca Dæmonē.
Voluptas
Dixerunt enim impij; ubique relinquamus signa letitiæ quoniam hec est pars nostra. Sap. 2.
C de Mallery sc. et ex.

SALTATOR SPIRITVALIS.

Quam magna multitudo dulcedinis tue Domine: quam abscondisti timentibus te. Psal. 30. C. de Mallery fecit ex.

I. Mors tua 2. Mors Christi, 3. Fraus mundi 4. Gloria Coeli
5. Et dolor inferni, sunt meditanda tibi.
I. Pense a ta propre fin, 2. a la mort du Sauueur
3. Au dol mondain 4. au Ciel, 5. a l'infernale horreur
I. V doet, 2. en Christus doet, 3. en swerelts valschē schyn
4. S'hemels glorie 5. der hellen pyn, moet dy gedachtich syn

Durum quod cruciat æternum. Felix quę beat æternitas.
A morte pendent; mors a vita; hæc a momento, elige, perysse
semel, æternum est.

C de Mallery fecit



Si omnia ista considero nunquam gaudere potero.

C. de Mallery fe et ex.

Qui facit peccatum seruus est peccati. Et a quo quis superatus est, huius et seruus est. Ioan. 8. 2. Pet. 2.

C. de Mallery. fecit.

Conuertimini ad Dominum Deum vestrum; quia benignus et misericors est, patiens, et multæ misericordiæ, et præstabilis super malitia. Ioel. 2.

C. de Mallery fecit.

Quæ mala cunque premant, latus hoc citus occupa, ubi te
Visceribus Pietas nutriet ipsa suis.
Lors que batu des flos d'une roide tempeste,
Tu veus chercher repos, prens icy ta retraite.

C. d. Mallery fecit

TYPVS ANIMÆ, CRVCI CONFORMIS.

Conueniens typus est, animæ crucis arma sequenti,
Vt sit [1]*celsa Deo,* [2]*sibi vilis,* [3]*aperta propinquis,*
Firma, [4]*mali patiens, victrix, semperque fidelis,*
Virtutumque [5]*choro radians, meritisque relucens.*

C. de Mallery fecit

RECIPROCA SPONSÆ SPONSIQVE AD HORTVM SVVM INVITATIO.

SPONSE, VENI; TVVS EN TE DEGENER INVOCAT HORTVS.
SVAVI-AMARVS ET HIC TE MIHI, SPONSA, VOCAT.
Vien cueiller, cher eſpous, les fruits de ton parterre.
Mais que ces aygre-dous âuſsy ton cueur en-ſerre.

C. de Mallery fecit

ANGELI MINISTRANT CHRISTO.
Mons uebo, quo feruntur cibi. Sedet Christus prandet;
Ministrant Angeli.

C. de Mallery fecit.

Conecit in eum dominus iniquitates omnium nostrum. Esa. 53.

MORBOS NOSTROS AC DOLORES IPSE TVLIT AC TOLERAVIT. Esa. 53.

Christus peccata nostra suo corpore sustulit ut peccatis defuncti, justitiæ vivamus. 1 Pet. 2.

CVR TVA RVBET VESTIS, TVAQVE INDVMENTA SVNT SIMILIA EIVS QVI TORCVLAR CALCAT. Esa. 63. c. de Mallery fc.